

Apostolus: Si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi. (*Lib. 4. Decretal. tit. 19. cap. 7. pag. 1557.*) Ergo hæc verba Apostoli eo sensu intelligenda sunt quod si recesserit conjux infidelis, alter ad fidem conversus, rupto prioris Matrimonii vinculo, possit novum contrahere conjugium.

Resp. Neg. conseq. Ut autem quid in eo capite valeat Innocentii III decretalis intelligatur, observandum est VI sæculo Autorem quemdam incognitum, cui diu fuit nomen *Ambrosii*, commentarium in Epistolæ S. Pauli scripsisse, in quo sic habet: *Non ratum est Matrimonium quod sine devotione est; ac per hoc non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alii nupserit: contumelia enim Creatoris solvit ejus Matrimonium circa eum qui relinquitur.* (*Tom. 2. in append. pag. 134.*) Hoc opus longâ oblivione sepultum, tandem eâ ætate repertum vulgatumque fuit, quâ sanæ criticæ regulæ planè ignorabantur: unde factum est ut propter *Ambrosii* nomen quod præferebat, & plurima utilia quæ in eo continentur, magno Ambrosio Mediolanensi Episcopo fuerit attributum. Nonnulli verò propter quamdam styli similitudinem, S. Gregorium Magnum hujus operis Autorem existimârunt.

Posteriorem hanc sententiam amplexus est Gratianus, & Gregorii Magni, ut sibi videbatur, autoritate nixus, suum Canonem sic condidit: *Si infidelis discedit odio christianæ fidei, discedat; non est enim dimisso peccatum, si alii se copulaverit. Contumelia quæ ppè Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum qui relinquitur.* (*Decret. 2. part. caus. 28. q. 2. Can. 2.*) Quo in Canone apostolicæ sententiæ adulterina fit istorum verborum additio, *non est enim dimisso peccatum, si alii se copulaverit*; quæ verba apud Apostolum nullibi reperias. Gratiani Canonem quem ex S. Ambrosio excerptum putabat, securus est Innocentius III; inde factum est ut falsâ autoritate decepti, in

eundem errorem lapsi fuerint plerique Theologi.

Postea verò, cum eruditi, prælucente sanioris criticæ face, omnes antiquitatis nondum satis cognitæ recessus propius inspexere, certum demonstratumque fuit, commentarium ex quo suum Canonem, *Si infidelis*, excrisperat Gratianus, nec S. Ambrosii, nec S. Gregorii esse; sed cujusdam Scriptoris qui nullius est autoritatis, ab eoque tempore appellatus fuit *Ambrosiaster*: ex iis quæ diximus patet quàm parùm nostræ sententiæ noceat objecta Innocentii III decretalis, quæ nonnisi eminentiâ S. Ambrosii autoritate nitetur.

Hic ergo locum habent 1^o. istud juris effatum: *Quod non ratione introducitur, sed errore primùm, deinde consuetudine obtentum est, non tam consuetudo, quàm corruptela est*; 2^o. ista Cleri Gallicani regula: *in rebus theologicis ad fidei & morum dogmata spectantibus, Theologos etiã modernos audiamus, si tamen consonas SS. Patribus tradunt sententias. Deinde si ab eis recedunt, harum opinionum inhibeatur cursus, nedum earum aliqua ratio habeatur, aut ulla eis tribuatur autoritas.* (*Mém. du Clergé, tom. 1. pag. 742.*)

Præterea rationes quibus tum Innocentius III; tum alii suam opinionem adstruunt, sunt *contumelia & blasphemia divini nominis* ex parte conjugis infidelis, & periculum ne conjux alter ad fidem conversus, in errorem aut peccatum aliquod mortale pertrahatur: atqui rationes illæ nullius sunt ponderis; siquidem iis incommodis aliter occurri potest, quàm per dissolutionem vinculi conjugalis, scilicet per conjugum separationem quoad *thorum & cohabitationem*.

Denique non semel pugnantia loquuntur adversarij: Gratianus enim & Innocentius III, quibus suam autoritatem potissimum debet opinio quam refellimus, docent & meritò quidem, Baptismo vim inesse peccata delendi, non verò Matrimonium dirimendi: *Baptismo solvuntur crimina, non*

conjugia; secum igitur pugnant, cum aiunt alterutrius conjugis ad fidem conversione irritum fieri Matrimonium. Estius aliique multi fatentur *Matrimonium esse suapte naturâ indissolubile*; à seipsis igitur dissident, dum infidelium conjugia posse aliquando dirimi contendunt. Volunt nonnulli conjugem fidelem suâ discessione posse conjugium facere irritum, si conjiciat fore ut nunquam infidelem alterum conjugem ad fidem adducat, etiâ si iste cum eo pacificè vivere non renuat; quod doctrinæ apostolicæ prorsus adversatur. Tandem censent quidam subsistere Matrimonium, donec conjux fidelis novas ineat nuptias; quasi verò adulterinum non sit posterius conjugium, quod contrahitur antequàm prius suam firmitatem amiserit.

Quæstionem hanc eleganter diligenterque excusam reperias in opere cui titulus: *Recueils de plaidoyers sur la question de savoir, si un Juif marié dans sa religion, peut se marier après son Baptême, lorsque sa femme Juive refuse de le suivre, & d'habiter avec lui.* (2. vol. in-12. édit. an. 1761.)

ARTICULUS III.

An Christianorum Matrimonia per adulterium solvantur.

Dubiam & ancipitem fecit apud Veteres non paucos hujus quæstionis solutionem subobscura hæc Christi sententia: *Quicumque dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* (Matth. 19. 9.) Græcos in ea jam dudum versari sententia & consuetudine, ut propter adulterium solvatur vinculum conjugale, res est apud omnes certa. Perpetuam vel ab initio, & constantem apud se fuisse consuetudinem hanc gloriantur Græci recentiores. Contrà verò Arcudius,

adductis in medium veterum Ecclesiæ Græcæ Patrum testimoniis, contendit Græcos recentiores à Majorum suorum doctrina recessisse. (*Concord. Eccles. Occident. & Orient. pag. 578 & 586. edit. Paris. an. 1672.*)

E Latinis autem Scriptoribus non defuerunt, qui Græcorum patribus plus æquo faverint; Cardinalis Caietani, Ambrosii, Catharini, Erasmi & aliorum quorundam ea sententia fuit, ut ex Sacris Litteris & traditione certo colligi nequeat, per adulterium dissolvi non posse Matrimonium. Longè audaciores Lutherus Calvinusque docent adulterio disjungi posse conjugia, etiam quoad vinculum.

Nostri quoque temporibus, *Launoy* in Tractatu de regia in Matrimonium potestate, Patrum utriusque Ecclesiæ, à Christo ad Tridentinam usque Synodum, longam texuit seriem ex qua demonstrare nititur, conjugalem nexum propter alterutrius conjugis adulterium dirimi posse.

PROPOSITIO.

Vinculum conjugale, sub lege evangelica, propter adulterium dissolvi non potest.

Probatur ex Scriptura. Sic pronuntiat Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit; & si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mæchatur.* (Marc. 10. v. 11 & 12.) *Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mæchatur; & qui dimissum à viro ducit, mæchatur.* (Luc. 16. 18.)

Porrò, si per adulterium alterutrius conjugis dissolveretur Matrimonium quoad vinculum, sanè adulterii reus non esset vir qui mulierem ab alio propter hoc scelus dimissam, duceret uxorem; adultera etiam non esset mulier quæ à marito dimissa, alii viro nuberet: atqui tamen generatim declarat Christus adulterii reos esse, & virum,

& uxorem, si in casu repudii aliud Matrimonium ineant. Voces enim *omnis & quicumque*, quas adhibet Christus, ut neminem, sic & nullam causam excipiunt. Quapropter hæc verba ponderans Augustinus, *Qui ergo nos sumus, inquit, ut dicamus: est qui mæchatur, uxore sua dimissa, alteram ducens; & est qui hoc faciens non mæchatur; cum Evangelium dicat omnem mæchari qui hoc facit? (Lib. 1. de conjugii adulterinis, cap. 9. n. 10. tom. 6. pag. 392 & 393.)*

Preterea Apostolus sic jubet: *Iis autem qui Matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; & vir uxorem non dimittat. (1. Cor. 7. v. 10 & 11.)* Illorum autem Matrimonium propter adulterium dissolvi non potest, qui à se invicem aut discedere non debent, aut si discesserint, tenentur sibi mutuo reconciliari, vel innupti remanere: atqui, ex Apostolo præceptum dominicum fidelibus exponente, *præcipio, non ego, sed Dominus*, conjuges christiani, tam maritus quam uxor, (par enim in eo capite est amborum conditio,) non debent à se invicem discedere; aut si discesserint, tenentur vel sibi mutuo reconciliari, vel ab aliis nuptiis abstinere; ergo, &c.

Denique idem Apostolus: *Quæ sub viro est mulier, inquit, vivente viro, aligata est legi, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri; igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. (Rom. 7. v. 2 & 3.)* Porrò vinculum quod solà morte solvitur, non potest per adulterium dirimi: atqui, teste Apostolo, vinculum quo ambo conjuges devincti sunt, solà alterutrius morte rumpitur; ergo, &c.

Hinc Augustinus, *Verba Apostoli, inquit, toties repetita, vera sunt, viva sunt, . . . plana sunt: nul-*

lius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit; esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus, non si fornicetur: licet itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed non carebit illo vinculo, etiamsi nunquam reconcilietur viro; carebit autem, si mortuus fuerit vir ejus. (Lib. 2. de conjug. adulter. cap. 4. tom. 6. pag. 406.)

Qui hujusce veritatis traditionem per singula Ecclesiæ sæcula continuatam sequi voluerit, adeat doctissimam Gibert. (Tom. 3. corporis Juris Canon. part. 4. tract. de Sacram. tit. 11.)

Solvuntur objectiones.

Objicies. Sic docet Christus: *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur. (Matth. 19. 9.)* In eo sanè casu solvitur Matrimonium, quem Christus excipit à lege generali quæ prohibetur conjugii dissolutio: atqui Christus adulterii casum excipit à lege, &c. ergo, &c.

Resp. Neg. min. 1^o. Enim Christus Matrimonium ad primævam suam institutionem revocans, duo denuntiat: 1^{um} scilicet, jam licitum non fore uxorem dimittere *quacumque ex causa*, ut facere consueverant Judæi legem malè interpretantes, sed tantum propter adulterii crimen, *nisi ob fornicationem*; 2^{um} in isto etiam casu adulterii reum fore qui ad novas transferit nuptias, & *aliam duxerit, mæchatur*. Positâ hæc interpretatione, quæ obvia est verbisque Christi maximè accommodata, liquet exceptionem istam, *nisi ob fornicationem* referendam esse ad primum membrum, *quicumque dimiserit uxorem suam*, non autem ad secundum, & *aliam duxerit*; ita ut sermo Christi ad eum sensum revocetur: Licet quidem viro uxorem adulteram dimittere; minimè verò licet viro uxorem suam dimittenti aliam ducere. Si enim

permittere voluisset Christus, non tantum ut maritus uxorem adulterii ream abjiceret, sed insuper ut aliam duceret, juxta communem loquendi modum mentem suam ita declarasset: *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, nisi ob fornicationem, mœchatur.*

2^o. Eo quem exposuimus sensu verba Christi intellexerunt Discipuli; iis enim auditis, exclamarunt: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Durum scilicet ipsis videbatur, & infirmitati humanæ molestissimum, non posse hominem, post dimissam ob adulterium uxorem, aliam accipere.

3^o. Quia alii duo Evangelistæ, Marcus & Lucas, sublatâ fornicationis exceptione, generatim & absolutè asserunt, eum mœcham qui, rejectâ suâ uxore, aliam ducit: *Quoniam, inquit Augustinus, fas non est ut Evangelistas de una re loquentes.... dissentire dicamus, restat ut Matthæum intelligamus eandem tenuisse sententiam, ut omnis qui dimittit uxorem suam & ducit alteram, mœcham minimè dubitetur.* (Lib. I. de conjugii adulter. cap. II. tom. 6. pag. 394.)

4^o. Declarat Concilium Tridentinum, alterius conjugum adulterio non posse dissolvi Matrimonii vinculum, eamque doctrinam appellat evangelicam & apostolicam. (Sess. 24. de Matrim. can. 7.)

Inst. 1^o. Si quis dixerit: *Quicumque peccaverit, nisi pœnitentiam egerit, damnabitur,* è contrario sic licebit concludere; *ergo qui pœnitentiam egerit post peccatum, non damnabitur;* pariter ergo, cum ait Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur,* valet ista consecutio; *ergo qui dimiserit uxorem suam ob fornicationem, & aliam duxerit, non mœchatur.*

Resp. Neg. conseq. & paritatem. Quia in prima propositione unicum est membrum, nempe *quicumque peccaverit,* ad quod solum proinde refertur

ista exceptio subsequens, *nisi pœnitentiam egerit:* contrâ verò Christi sententia duas partes complectitur, quarum prior uxoris dimissionem spectat, posterior verò mulieris alterius ducendæ licentiam. Porro quis neget potuisse Christum statuere ut liceret uxorem, fornicationis causâ, dimittere, non tamen aliam ducere?

Præterea se habet Christi sententia, perinde ac ista: *Quicumque ad mulierem accesserit, nisi in legitimo conjugio, & libidini obsecutus fuerit, peccati reus est:* atqui nemo sanus inde concludet à contrario; *ergo qui accesserit ad mulierem, & in legitimo conjugio libidini servierit, peccati non est reus:* hæc enim exceptio, *nisi in legitimo conjugio,* quasi intra parenthesis legendâ est, eumque sensum efficit: *Quicumque ad mulierem accesserit (quod non licet nisi in legitimo conjugio) & libidini obsecutus fuerit, peccati reus erit.* Pariter ergo ad eum sensum revocanda est Christi sententia: *Quicumque dimiserit uxorem suam (quod non licet, nisi ob fornicationem,) & aliam duxerit, mœchatur.*

Inst. 2^o. Christus respondet Phariseis eum interrogantibus de uxorum dimissione apud Judæos fieri solitâ, & quæ vinculi matrimonialis dissolutionem importabat; ergo ut Christi responsio quæstioni congruat, de ea dimissione intelligenda est, quâ rumpitur vinculum conjugale.

Resp. 1^o. Transeat ant. Plurimi enim, & quidem optimæ notæ, Theologi contendunt, libello repudii non dissolutum fuisse apud Judæos vinculum conjugale, ut supra exposuimus.

Resp. 2^o. Neg. conseq. Phariseorum enim interrogatio duo involvebat; primum, *an quicumque ex causa,* & proinde etiam levi, uxorem dimittere liceret; secundum, *an eâ dimissâ, aliam posset maritus ducere:* atqui ad utrumque respondet Christus; ad primum quidem, non licitum esse *quacumque ex causa,* sed tantum ob gravissimam, qualis est *fornicatio,* uxorem dimittere; ad secun-

dum verò, dimissã, etiam propter fornicationem uxore, nefas esse aliam ducere: quid autem dici potuit ad rem magis pertinens?

Inst. 3^o. Si dimissio de qua loquitur Christus, mera esset quoad thorum & habitationem separatio, Christus qualibet alias, præter adulterium, divortii causas excluderet, ac proinde eas quæ à jure tum canonico, tum civili institutæ sunt: atqui id profectò falsum est; ergo dimissio de qua loquitur Christus, mera non est quoad thorum & convictum separatio, sed vera Matrimonii solutio.

Resp. Neg. maj. Particula enim *nisi* referenda tantum est ad varias & multiplices divortii causas, quarum numerus tantoperè apud Judæos excreverat. Eas Christus inta solum adulterium coercet: hæc proinde *restrictio* non pertinet ad divortii causas, quas instituire Ecclesiæ & Principibus utile visum est.

Si quis longam illam tum Synodorum particularem, tum Scriptorum ecclesiasticorum seriem quam taxuit *Launoy*, objiciat, non dissidebimur ex illis testimoniis nonnulla esse, quæ contrariæ magis quam nostræ sententiæ faveant. Non me quidem læter, inquit doctissimus *Drouin*, quosdam esse Theologos in conciliandis & explicandis Patribus tam miræ sagacitatis, ut putent Lactantium, Basilium & nonnullos alios ad communem Ecclesiæ doctrinam facillè revocari posse, dicendo nimirum eos locutos esse, non de licentia quam faciat Evangelium, sed quam leges civiles concesserint. Verum, ut ingenuè loquar, pergit Autor, hoc mihi non operosum tantum, sed & impossibile prorsus videtur: quod ultrò concessurum confido, quicquid verba Lactantii & aliorum quorundam attentius pensaverit.

Satius itaque videtur confiteri cum Bellarmino, Natali Alexandro & aliis illustribus Theologis, in obscura quæstione quæ tunc temporis non erat

liquidò disceptata, veteres qui opponuntur Scriptores, & particulares etiam Synodos, cum aliqua excusatione errasse; quod facillè suâ ætate contingere potuisse sic agnoscit S. Augustinus: *In divinis sententiis ita obscurum est, utrum & iste cui quidem sine dubio adulterum licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisquis fallatur.* (Lib. de fide & operib. cap. 19. n. 35. tom. 6. pag. 185.) Sed de sententiæ quam defendimus veritate dubitare non licet, postquam Ecclesiæ in Concilio Tridentino anathemate eum percussit, qui diceret *errare Ecclesiam, cum docet aut docuit juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi.* (Sess. 24. de Matrim. can. 7.)

ARTICULUS IV.

Utrum professione religiosâ solvatur Matrimonium.

Matrimonii semel consummati vinculum, professione religiosâ non dissolvi, ex Ecclesiæ disciplina apud omnes constat. De conjugio autem raturat, aliter à Concilio Tridentino sic definitum est: *Si quis dixerit Matrimonium ratum & non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi; anathema sit.* (Sess. 24. de Matrim. can. 6.) Tridentinæ Synodo præverant Summorum Pontificum decreta, Alexander enim III in Concilio III Lateranensi an. 1179. (Part. 5. cap. 1. tom. 10. Concil. pag. 1569.) & Innocentius III (Decretal. pag. 1267. n. 20.) declarant, si Matrimonium non fuerit consummatum, posse unum conjugem, altero vel inconsulto, vel etiam repugnante, Religionem aliquam approbatam solemniter profiteri, tuncque licitum esse alteri conjugi ad novas nuptias

convolare : nec novam se doctrinam invehere ;
verùm à decessoribus suis acceptam sequi , asserit
Innocentius III.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. Doctrinam hanc Scripturis adversari,
1^o. scilicet iis verbis : *Relinquet homo partem suam
& matrem, & adhærebit uxori suæ. (Genes. 2. 24.)*
Ibi Adamus loquitur de Matrimonio, quale tunc
erat ipsum inter & Evam, rato proinde & non
consummato ; 2^o. huic Christi sententiæ : *Quod
Deus conjunxit, homo non separet. (Matth. 19.
6.)* Quæ verba Matrimonium generatim indissol-
ubile declarant.

Respondent Theologi hæc Scripturæ loca alia-
que similia de Matrimonio consummato intelli-
genda esse : nam 1^o. Adamus hanc rationem sub-
jungit, cur homo patrem & matrem relinquere
debeat ut adhæreat uxori, quia scilicet *erunt duo
in carne una: (Genes. 2. 24.)* atqui hæc verba
accipienda sunt de Matrimonio consummato per
quod vir & uxor una fiunt caro, & artibus in-
ter se devinciuntur, quàm cum patre & matre.
2^o. Christus iis verbis : *Quod ergo Deus conjunxit,
homo non separet*, ista alia præmittit : *itaque jam
non sunt duo, sed una caro*, quod fit per Matri-
monium consummatum.

Præterea Christus hic loquitur de Matrimonio
quod apud Judæos per libellum repudii solveba-
tur : atqui Matrimonium illud erat conjugium con-
summatum. Denique in hypothese de qua agitur
non homo, sed Deus conjuges separat : neque
enim Ecclesia sponfos ad Religionem impellit, sed
Deus ipse eos ad se vocat, qui corporum anima-
rumque supremus est Dominus.

Iis omnibus accedit quod Ecclesia, legitima
illa verbi divini interpret, in Concilio Tridentino
congregata, hæc & alia Scripturæ loca quibus

asseritur conjugiorum firmitas, de Matrimonio
consummato duntaxat intellexerit.

Obj. 2^o. Hanc Apostoli sententiam : *Mulier sui
corporis potestatem non habet, sed vir; similiter
autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed
mulier. (I. Cor. 7. 4.)* Porro qui corpus suum
alicui tradidit, illud alii citra prioris injuriam tra-
dere non potest : atqui ex Apostolo, per Matri-
monium vir uxori sui corporis potestatem facit,
& vicissim, idque non minus locum habet in Ma-
trimonio rato, quàm in consummato. Jus enim
illud quod suum in corpus mutuo sibi faciunt con-
juges, non ex Matrimonii consummatione nasci-
tur, sed legitimo ex contractu ; ubi autem repe-
ritur conjugium ratum, ibi adest contractus legiti-
mus ; ergo ne ratum quidem Matrimonium sol-
vere potest religiosa professio.

Respondent Theologi suis in Matrimoniis chris-
tianos conjuges, mutua sui corporis potestatem
absolutè non sibi invicem facere, verùm sub tacita
saltem hac conditione, ut liceat ante Matri-
monium consummatum, per religiosam professionem
sefe Deo consecrare ; cum enim solemnè totius
Ecclesiæ judicio definitum sit hoc fieri posse,
nemo verè christianus est, qui in contrahendo
Matrimonio hanc velit potestatem conjugi dene-
gare, vel possit. Cum potestatem hanc pariter
habeat uterque conjux, injustitiæ accusari non
potest, qui Matrimonio nondum consummato nun-
cium remittens, per vitæ Monasticæ professionem
Deo sese totum mancipat.

Obj. 3^o. professionem religiosam juris humani
tantum esse, ideoque non posse Matrimonium sol-
vere, quod ex jure divino indissolubile est.

Respondent Theologi, ritus quidem & ceremo-
nias quæ in professione religiosa usurpantur, hu-
mani tantum esse instituti ; minimè verò professio-
nem hanc in seipsa spectatam quæ homo, con-
temptis omnibus caducæ hujus vitæ deliciis, totum

Deo sese devovet, ut hereditatem æternam facilius consequatur: evangelicis enim consiliis annumeratur, quæ divini juris sunt, non humani. Quapropter, inquit, cum per solemnem Religionis professionem dirimitur Matrimonium, non homo, sed Deus pro summo jure quod in contrahentes & in nuptias habet, majoris boni intuitu conjugale vinculum solvit.

Hæc autem aliaque Theologorum responsa, si diligentius expendantur, vix ac ne vix quidem satis firma videbuntur, ut omnino persuadeant; standum est igitur auctoritati Ecclesiæ, quæ voluntatis divinæ interpres tutissima pronuntiavit, Matrimonium ratum, non verò consummatum, dissolvi per solemnem Religionis professionem; ea est, inquam, unica & decretoria ratio. Posito enim hoc Ecclesiæ decreto, Matrimonium contrahere non censentur fideles, nisi sub ea conditione tacita, quòd liberam retineant potestatem, solemnia Religionis vota ante consummatum Matrimonium nuncupandi.

ARTICULUS V.

An & quibus de causis Matrimonium quoad thorum & habitationem solvi possit.

Conjuges, ut jam monuimus, triplici modo separari possunt; 1^o. quoad vinculum, si nimirum ita dissolvatur nexus conjugalis, ut pro non nuptis habeantur; 2^o. quoad thorum, cum scilicet, stante vinculo, à Matrimonii debito liberi fiunt; 3^o. quoad thorum & habitationem, quando conjuges & sub eodem tecto vivere, & eodem tecto uti desinunt. Postremum illud separationis genus *divoriturum* propriè dicitur, quia duo conjuges in diversas abeunt partes. Illud autem aliquando licitum esse sic definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit Ecclesiam*

errare, cum multas ob causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit. (Sess. 24. de Matrim. can. 8.)

PROPOSITIO.

Conjux à conjuge propter adulterium ejus quoad thorum & habitationem disjungi potest.

Probatur 1^o. ex toties prolata Christi sententia, quæ permittitur uxorem propter adulterium missam facere: atqui hæc dimissio vinculi conjugalis dissolutionem non importat; siquidem mœchatur qui, dimissâ uxore, aliam duxerit; ergo intelligenda est de separatione quoad thorum & habitationem.

Prob. 2^o. ex istis Christi verbis: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum. (Matth. 18. 9.)* Quem in locum animadvertunt Patres, hic præcipere Christum ut qui oculorum instar nobis sunt carissimi, quales sunt parentes, filii, uxor, abjiciantur, cum ruinæ spiritualis nobis occasionem proximam præbent: atqui per adulterium conjuges sibi invicem ruinæ spiritualis causa esse possunt; ergo, &c.

PROPOSITIO II.

Præter adulterium plures esse possunt legitimæ divortii causæ.

Probatur. Ex dictis dimitti potest conjux, quando sit ruinæ spiritualis causa: atqui multi sunt præter adulterium casus in quibus id contingere potest; ut 1^o. si alter conjugum à fide catholica defecerit, & alteri periculum immineat ne subvertatur ipsius fides: qui enim de Matrimonio dixit: *Quamobrem relinquet homo patrem*

suam & matrem, & adhærebit uxori suæ, profectò non dixit: Relinquet homo Deum, & adhærebit uxori suæ. 2^o. Si conjux alterum impellat ad peccandum, ita ut cum eo vivere nequeat sine manifesto Deum graviter offendendi periculo: tunc enim locum habet illud Christi præceptum: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* 3^o. Propter immoderatam sævitiam, ut sic declarat Innocentius III: *Si tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet illi restitui, sed ab eo potius amoveri.* (Decretal. pag. 638.) 4^o. Rei capitalis accusatio per calumniam ab uno conjuge alteri intenta. Senatusconsultum 16 Jul. 1695, separationem decernit in gratiam mulieris expositulantis, quòd ipsius maritus eam suppositi partus falsò accusavisset. (Euv. du Chanc. d'Aguesseau, tom. 3. pag. 199.) Alio 1. Febr. 1716. judicio concessum est divortium uxori apud Judicem conquerenti, quòd suus conjux eam immeritò prorsus arguisset ejus vitæ insidiatam esse. 5^o. Si alter conjugum alteri infamiam intulerit: sic Castellana Parisiorum Curia (du Châtelet) sententia 18 Decemb. 1773, & a supremo Senatu confirmata, separationem pronuntiat in favorem mulieris, quam maritus adulterii temerè insimulaverat. (Causes célèbres, tom. 56. pag. 73.) Alia sunt in eodem genere Senatusconsultum, nempe 26 Maii 1777, (Ibid. tom. 88. caus. 267.) & 7 Septemb. 1782. (Gazette des Tribunaux, tom. 14. an. 1782. num. 38. art. 1.)

Quæres 1^o. an divortium ob adulterii causam semper licitum sit.

Resp. quosdam excipi casus 1^o. Si conjux uterque ejusdem criminis reus fuerit: tunc enim valèt hæc juris regula: *Paria crimina mutuâ compensatione delentur.* Ita definitum est ab Alexandro III, & ab Innocentio III. Idem longè ante docuerat

docuerat S. Augustinus: *Nihil est iniquius, inquit, quàm causâ fornicationis dimittere uxorem, si & ipse (maritus) convincitur fornicari.* (Lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 16. n. 46. tom. 3. part. 2. pag. 185.)

2^o. Si vir occasionem & causam dederit uxoris adulterio, sive ipsi denegando quæ ad vitam sunt necessaria, sive à domo eam repellendo, aut alià quacumque ratione durius & injustè cum ea agendo; 3^o. si vir uxoris adulterio consenserit, ad illudve eam impulerit: tunc enim non minus viro imputari debet, quàm mulieri; 4^o. quando res sine crimine est, ut si mulier per vim opressa fuerit; 5^o. si conjux conjugem adulterum, post cognitum ejus crimen, ad thorum receperit: hæc enim agendi ratio vim reconciliationis habet; 6^o. cum uxor virum suum probabiliter mortuum, ob longam ejus absentiam, bonâ fide existimans alteri nupsit.

Quæres 2^o. utrum teneatur conjux innocens conjugem adulterum dimittere.

Resp. 1^o. Si conjux adulterii reus certa aut verisimilia emendationis signa præbeat, conjux innocens ad divortium non tenetur, imò debet interdum ex lege caritatis adulterum retinere.

Prob. prima pars ratione quam affert S. Thomas: *Cum enim dimissio uxoris fornicantis introduzta sit ad corrigendum uxoris crimen per talem penam, pena autem corrigens non requiratur, ubi emendatio jam præcesserit; si mulierem peniteat sceleris, vir non tenetur eam dimittere.* (In 4. dist. 35. art. 2.) Præterea Christus interrogatus an liceat uxorem quacumque ex causa dimittere, respondet eam non esse dimittendam, nisi ob fornicationem; atqui tunc interrogatio, tum responsio rem licitam significant, non verò præceptam. Verùm si illa dimissio imperata non fuerit, maxime ubi agitur de conjuge adultero quidem, sed penitente,

Prob. secunda pars, quod nimirum aliquando tenetur ex caritate conjux innocens conjugem adulterum, sed poenitentem retinere. Debet enim maritus uxoris saluti, quantum potest, consulere; (Idem asserendum de uxore erga maritum:) atqui ipsius saluti ut consulat, aliquando necesse est adulteram conjugem non dimittere: si, v. g. periculum sit ne ejecta mulier in desperationem, propter infortunium sibi dedecus, incidat; vel ne egestate, aut alia quolibet impellente causa, in nova sese concipiat adulteria; ergo tunc ex officio caritatis tenetur maritus eam retinere: *Postquam enim Christus, ait Augustinus: dixit adultera: nec ego te condemnabo; vade, deinceps noli peccare; quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus poenitentis crimen divinam credit miseratione deletum?* (*Lib. 2. de adult. conjugii, tom. 6. cap. 6. pag. 407.*)

Resp. 2^o. Si vero uxor in adulterio contumaciter hæreat, & crimen manifestum sit, tenetur maritus eam dimittere, ne tanto crimini consensum dare cum scandalo videatur: quod nunquam licitum est. Si crimen occultum sit, debet maritus uxorem saltem à thori societate repellere; alioqui fieret ejus peccati conscius, ipsiusque saluti nimiam indulgentiam noceret, nedum consulere.

Quæres 3^o. an conjugum separatio quoad thorum privatâ ipsorum autoritate fieri possit.

Resp. separationem quoad thorum fieri posse, non expectatâ Judicis sententiâ. Jure enim naturali licitum est innocenti, debitum conjugale ei non reddere, qui fidem nuptialem adulterio violavit; ita S. Thomas. (*In 4. dist. 35. art. 1. in corp.*) Ad illud vero non sufficit mera criminis suspicio, sed requiritur certitudo moralis. (*Ibid. ad 4. & lib. 2. Decretal. tit. 23. cap. 12.*)

DISSERTATIO V.

De impedimentis Matrimonii.

OBSERVANDUM est 1^o. Matrimonii impedimenta, alia dici *prohibitentia* quæ illicitum, alia *dirimentia* quæ non illicitum duntaxat, sed etiam irritum faciunt Matrimonium; non quod semel ratum & validum dissolvant: Matrimonium enim ex jure divino indissolubile est; sed quod impediunt ne ratum sit & validum.

Observandum 2^o. Reges & Principes Christianos jure sibi proprio posse impedimenta constituere, quæ civilem Matrimonii contractum dirimant. 1^o. Quia Principes Christiani possunt quidquid possunt principes Ethnici; siquidem Baptismus & fides Principum suos in subditos potestatem non imminuunt: atqui possunt Ethnici Principes jure sibi proprio impedimenta constituere quæ civilem Matrimonii contractum dirimant; ergo, &c.

2^o. Eadem pollet autoritate Princeps in Matrimonium, quatenus est contractus civilis, quâ in alios contractus, venditionis, emptionis, locationis, & ceteros similes: atqui Princeps, prout bonum societatis exigit, potest aliis contractibus conditiones apponere, quibus omisissis, vel illiciti fiant, vel etiam invalidi; ergo, &c.

3^o. Jure sibi proprio id possunt Principes, quod ad commune Reipublicæ bonum necessarium est; ad illud enim potissimum instituta fuit regia potestas: atqui postulat aliquando totius Reipublicæ bonum, ut statuantur impedimenta quæ civilem Matrimonii contractum faciunt irritum; ergo, &c.